sine baptismo decedunt, quum Iudaei nunquam de suis in-
fantibus dubitaverint, qui sine circumcisione demortui. Non
privatio siquidem, sed contemptus sacramenti damnat. Sequitur
causa mystica, quae haec, ut circumcisio ~~fuisset~~ significaret
diem Dominicum, qui octavus est; sicut Sabbathum septimus, rege-
nerationem nostram, quam illa obsignabat per resurrectio-
nem I. C. a festo non septimo, sed octavo die, perfectum
iri. Illud siquidem est, quod octonario numero in scripturis
divinis absolutio ac perfectio significatur. Dixi breviter ac
leviter pro ingenii iudiciique mei modulo de Circumcisio-
nis autore, de Circumcisionis subiecto, de circumcisionis
tempore: Sequitur ut etiam dicam, quo instrumento facta fu-
erit circumcisio. Fiebat haec cultro petrino acutissimo, quo
hodiernum utuntur Iudaei. Lapideum a cultrum ad circum-
cisionem adhiberi voluit Deus, ut ostenderet, perfectam
circumcisionem fore in lapide, in illo, inquam, lapide angula-
ri, qui summa ima connectit, qui facit utraque unum: in illa
petra, ad quam beati sunt, qui allidunt parvulos suos; ex
qua fluit mel, quo Dei populus saturatur; ex qua pene-
tus aquae salientes erumpunt in vitam aeternam. Absunto
itaque abhinc, absunto amplius Iudaeorum mysteria, quae in cul-
tro petrino illi quaerunt, ut scriptis suis produnt: Petra,
petra Christus putatur; ad quam petram spiritualiter hodie-
num circumcidimur. Ille, ille est lapis angularis, ad quam
corripitur hodiernum corruptae naturae vitium. O summum Iu-
daeis mysterium, quod spreta dum negligunt, ad suavia
deliria delabuntur! Sed ad tertium vero membrum, quod
inquirendum venit, qua parte corporis facta fuerit cir-
cumcisio. In genitalibus fiebat quoad praeputii pelliculam.
Praeputium carnis vestrae, inquit scriptura, circumcidatur.
~~Unde~~ Sephora praeputium filii sui circumcidisse legitur.
Probrosum hoc et infame videbatur Gentilibus, quippe qui
ea de causa Iudaeos calumniose Apellas vocabant et
recutitos. Quin et Manichaeus, Augustino teste, obscoe-
num characterem Circumcisionis vocare haud erubuit.

Sed sicut hic